

⊕ ⊕ N E C R O L O G I A ⊕ ⊕

† R. P. Aloisius Bertasi (1867-1951)

*(Prov. Romanae)*



Maiores eventus exteriores vitae Patris Bertasi paucis lineis comprehendendi possunt. Natus est d. 5 Sept. 1867 in Pesina, in regione subalpina provinciae Veronensis, et cum ibi nostri a. 1883 constituerent alteram studiorum mediorum superiorumque sedem, pro Italia septentrionali (1), Aloisius noster in hunc parvum iuvenatum intravit. Historiam suae ad Congregationem vocationis, quae notum eventum vitae S. Clementis in memoriam revocat, ipse ita narrabat. Aloisius e socio, qui postea sanctus sacerdos factus est, quaesivit: « Quinam sunt hi missionales? ». Lo-

quebatur de nostris Patribus Pesinae missionem praedicantibus. Alter responsum dedit apparenter propheticum: « Sunt Missionarii Redemptoriani, et tu quoque aliquando eris in eorum numero! ». Vota professus est Aloisius Bertasi d. 20 Oct. 1888 et Romae sacerdotio auctus d. 18 Mart. 1893. Ter Rector fuit: Cortonae et Mutinae et Oropae; fuit quoque Magister novitiorum, Lector iuvenatus studenteratusque, Missionarius; ultimos 31 annos vitae suae Cortonae egit in munere Confessarii Studentium. Mortuus est ibidem d. 30 Dec. 1951.

Versus finem vitae longae 84 annorum quondam confratri confessus est se nescire peccatum *mortale*; cui assertioni eo libentius fidem praestamus, quod in eius notulis intimis legimus haec verba: « Potius in instanti mori volo quam vel

---

(1) Domus Pesina derelicta est d. 20 Nov. 1894.

unum peccatum *veniale* deliberatum committere ». Ceterum ex eius oculis limpidis nonne elucebat innocentia infantis?

Ut P. Mazzei in Neapolitana Provincia (2), ita in Romana P. Bertasi intra claustra et extra habebatur Sanctus authenticus ob illibatos mores et constans omnium virtutum exercitium. Postulator noster generalis P. Claudio Benedetti (1841-1926) dicere solebat se post Patris Bertasi mortem velle eius causam beatificationis introducere; sed diu ante novum Beatum ipse mortem oppetiit. Cortonam multi aegroti aliove malo vexati veniebant efflagitantes Patris Bertasi benedictionem orationesque. Humili simplicitate eis morem gerebat, simul tamen eos exhortans ad bonam confessionem et communionem. Idem accidit post eius obitum. Videres tunc mulierem caecam aliosque miseros tactu huius cadaveris sanitatem quaerentes, et Rector domus res defuncti proprias a « piis » latronibus defendere debuit. Postea in caemeterio, priusquam arca sepulcralis clauderetur, ultima vice fideles res suas tactu huius corporis « sanctificare » et confratres eius osculum infigere voluerunt. Nullus tamen historiographus rettulit de veris miraculis tunc effectis. Estne vis thaumaturga in nostris « Sanctis » recentioribus extincta?

Omni prodigo plus valet virtus solida. Eminebat in confratre defuncto spiritus orationis et amor vitae in Deo absconditae. Fere totum diem aut in cella aut in oratorio degebat. Surgebat mane iam hora ante ceteros, quo plus temporis orationi dare posset, et vespere ante ultimum signum diem finiebat recitans Psalmos Marianos, communiter S. Bonaventurae attributos.

Missae sacrificium offerebat angelica devotione. Finita consecratione sive panis sive calicis eius vultus apparebat dulce subridens et quasi transfiguratus. Cum omnes nossent eius studium assistendi quam plurimis Missis, eum certiorerem faciebant, si quando Missa extra tempus solitum litabatur. Ceterum ipse novo sensu praeditus esse videbatur ad tales Missas detegendam, sicut in fasciculo anteriore id narravimus de Fr. Carolo Provinciae Baltimorensis (3).

Illam precem iaculatoriam « Iesu, Maria, Ioseph! », a Rectore Maiore Emerico Patritio Murray toties nobis commendatam, P. Bertasi quoque in deliciis habebat eamque aliis inculcabat « usque ad satietatem ».

Abhorrebat a dispensationibus non omnino necessariis, et senex ultraoctogenarius omnes aedificabat constanti suo studio observantiae.

Quis id credit? Ille, qui externe pace perpetua gaudere videbatur sanctique gaudii plenus esse, internum quoddam martyrium perpetiebatur, sicut illae ephemrides privatae, nunc in archivo servatae, demonstrant. Ipse iudicabat agi de infestationibus diabolicis, et haud raro audiebatur in silentio cubiculi vel quando putabat se a nemine audiri ac videri fortiter invehi contra inimicum infernalem. Hic homo innocens timebat de sua salute aeterna! Ad vincendas tentationes contra virtutem spei sibi notaverat varios textus biblicos fiduciam spirantes. Abun-

(2) Vide eius necrologium *Analecta* 1954, p. 181-184.

(3) *Analecta* 1955, p. 52.

dant quoque actus amoris, velut hic: « Quantus timor, tantus amor. Iesu, Maria, Ioseph, volo vos amarae, amare, amare ..., quantum unquam in caelo et in terra amati estis, et tunc volo mori! ». Cum vero esset « infans obedientissimus », victoria semper erat certa. Non desunt in illis notulis privatis expressiones, quae facta supernaturalia denotare videntur.

Haec pauca quarto post obitum anno scripta sunt ad memoriam sodalis spiritu adeo ferventis virtutisque eminentis ab oblivione vindicandam. Have, pia anima!